

LIBER PRIMVS, DE CONCILIIS ET ECCLESIA.

PRÆFATIO.

SACROVM CONCILIORVM AVCTORATATEM, quæ semper in Ecclesia magna fuit, aduersus multiplices hereticorum fraudes & calumnias, his libris pro viribus defensurus, antequam ad rem ipsam aggrediar, pauca quædam putavi esse dicenda de summa atque incredibili calliditate, quam ad hanc eleuandam auctoritatem Satana & administris nostris temporibus adhibuerunt. Etenim quoniam sacro-sancta Conciliorum auctoritas in Ecclesia Catholica, ut par erat, semper eminuit, & saepe in maximis rerum perturbationibus, ad dissipandas errorum tenebras, quasi fulgor quidam salutaris illuxit, non existimauit hostis humani generis posse diutius se discordias in Ecclesia ferere, & schismata, atque hereses conseruare & propagare, nisi iudicia Ecclesiastica de medio tolleret; & cathedram illam euerteret, ex qua Christus ipse per homines sonans, & iudicans, omnes fidei controversias litesq; componit.

Itaque Lutheranos excitatuit homines, ut ad fallendum paratos, ita projectos admentiendum, qui quidem, cùm initio nullo modo fieri posse crederent, ut summus Pontifex ad indicendum generale Concilium adduceretur, cæperunt ipsi magna contentione simul & Pontificem grauiter accusare, & aduersus eundem Pontificem Concilij generalis opem implorare. Ita enim fore arbitrabantur, ut & quacunque vellent scelera atque flagitia, quamvis falsa & incredibilia, de Pontifice libere spargere, & eum apud omnnes Christianas nationes reum maximorum criminum facere sibi licet, & ipsi interim non Ecclesia hostes esse, ut re ipsa erant, sed viri amantes pietatis, fideique Zelum habere, quippe qui Concilij auctoritatem agnoscerent, ab omnibus indicarentur. Quocircatot & tam atrocibus calumniis, & maledictis, & voce, & literis Christi vicarium onerauerunt, ut permultis, magnisq; nationibus plane persuaserint, eum non Christianum presulem, sed Christi iuratum hostem, atq; adeo ipsum verum, & propriè dictum Antichristum esse.

Orationem certè immensam susciperem, si ea mendacia percensere vellem, quibus heretici huius temporis in omnibus pené libris, & sermonibus